

scriptis & tum temporis, & postea tractata, & discussa fuerunt. Itaq; Lutherus zelo domus Domini feruens, in tarpes, & sordidos, blasphemos & impios istos Indulgentiarum buccinatores inuehitur, primum, modestissime, & intra priuatos parietes ad suos monachos, quos hortatur, ne istis nanijs fidem habeant: quod cum Tezelius rescisceret, damnare incipit Lutherum ut Archihereticum, & fulmina anathematum in eum conicit, ut fieri solet omnibus temporibus ab ijs, qui mala causa nituntur, & loco clauium Petri, utuntur gladio Petri. Lutherus non tam suae personae defendenda, quam Veritatis asserenda causa, in Vigilia Omnium sanctorum, foribus templi ad arcem Vuitebergicam affigit publicè, primam disputationem de Indulgentijs, anno 1517. Atq; hic annus est, quem Ecclesia ante annos mille, & ferè ducentos praeuidit, celebrauit, praedixit, praedicauit, & ubiq; propemodum terrarum, in ipsis quoq; monasterijs omnibus, & synagogis Pontificijs etiamnum praedicat, canens: Tibi Cherubin & Seraphin incessabili voce proclamant. Literis enim, quae numeros continent, ex hoc versiculo collectis, annus ille ostenditur, quem multi ex aduersarijs partim insciji decantant, & ut Caipha vaticinium proferunt, partim inuiti repetunt, & tamen ex cantico, quo Te Deum laudamus, expungere nec possunt nec debent. Idem hoc tempus est, quod Iohannes Hussus Constantiae anno 1415.

ob vere